



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqv̄et E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Cap. 18. de notis salutis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

plus tibi volo, & desidero supra omne id quod possum, aut potest
ulla creatura, de te propter te amantissime cogitare, feruentissime
loqui, & te ardentissime amare, non presumptuose, qui minimus sum
omnium diligentium te, sed pro amore quem tibi tibi debeo plus
quam possum, & debetur ab omni creatura quia tu Deus es, & meus
es, & vita mea es, & fiducia & omne bonum meum es. & eris in
aeternum in aeternum & per infinita saecula eris mihi omnia Deus
cordis mei & omnia. Amen.

JACVLATORIA.

Joan. 18. 7

Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, o anima mea, ut bi-
bam illum.

Ioan. 19.

Non haberes (o aduersitas) potestatem aduersum me ullam, nisi
tibi datum esset de super.

Psal. 5.

Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronaasti nos.

Zach. 2.

Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.

Act. 9.

Domine, quid vis me facere.

1. Pet. 5.

Omnem sollicitudinem uestram proiicite in eum, quoniam ipsi est
cura de uobis.

CAPVT XVIII.

De Notis salutis, quibus in tanta incertitudine
cognoscere quis potest in uita ac uia termino an
rectam tenuerit.

1. Pet. 1.

HORTATUR nos Apostolus Petrus, ut per bona
opera certam faciamus uocationem nostram: ni-
hil enim maiori studio faciendum est; nihil maiori so-
lacio cognoscitur in tanta salutis incertitudine: idcir-
co post longam tractationem uarioum exercitiorum,
post decursas uias tres, uitaeq; pia navigationem, por-
tus securi atque salutis signa iuvat considerare.

Greg. 1. 22.
mor. 6. 21.

Nota autem uirtutis cuiusque iuxta D. Gregorium
gradus esse tres. Primus est firmum habere uirtutis
propositum. 2. ita firmum illud esse ut tentationibus
ab ea homo non deducatur. 3. eiusdem officia alacri-
ter obire.

Rom. 10.

Primum salutis signum est fides uiva & simplex:
qua corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confes-
sio

fio ad salutem. Vide, expende ut crediderit Abraham Deo & reputatum sit ei ad iustitiam, ut Noë, & salvi facti sunt cum eo quotquot testimonio fidei probati inventi sunt. Indicium hujus est zelus eam propagandi, abhorrere hæresim, in credendo simplicitatem servare, & eam quam lingua fidem loquitur, conari vitâ ac moribus fatei. An hæc habes? gradus verò ejus collige ex ijs quæ dicta, & eos propone, & contritionem excita de corpore, & fidem vivam.

O IESV, ut infr. pag. 1022.

Secundùm signum est mandata Dei constanter ob- *Obediencia*
servare & graviora peccata devitare, ac sincerè cum *sincera.*
Deo ambulare. Scriptum est enim; si vis ad vitam in- *Matth. 19.*
gredi, serva mandata, & si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Tu vide quam habeas, an *1. Ioan. 3.*
mandata Dei serves, illud enim certissimum signum *Ioan. 14.*
juxta dictum æternæ veritatis: Qui habet, ait, mandata mea, & servat ea, hic est qui diligit me. Si diligit, ergo vitam habet in se. Dixi sincere ambulare & servare mandata signum esse: idè enim David dicitur fuisse vir secundùm cor Dei etiam si fragilis & peccator: idè acceptus illi fuit Ezechias, & exaudita oratio ejus cùm *Isaia 38.*
sic oraret: Obsecro, Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate. Idè odibiles Deo Pharizæi, & Publicanis ac meretricibus post- *Iob 9.*
positi in regno cælorum; simulator enim & callidus *Pf. 84.*
provocant iram Dei, & contrà, ubi veritas de terrâ orta est, justitia de cælo prospicit. Explora te ad hunc lapidem Lydium & gradus obedientiæ, & contere.

O IESV, ut infr. p. 1012.

Tertium signum est tribulatio, attende ut oportue- *Luc. 24.*
rit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, & quod dictum Tobia: Quia acceptus Deo eras, neces- *Tob. 12.*
se erat ut tentatio probaret te: & rursus, per multas *Act. 13:*
tribulationes oportet nos salvos fieri. An credis hoc?

St 4

ergo

ergo beati utique tu & ego erimus cum SS. Martyribus, si comparimur Christo & Sanctis, ut & conglorificemur. Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Id D. Paulus egregio simili exprimit, dicens Deum flagellare omnem filium, quem recipit: immò ipse Dominus: Ego, quos amo, arguo & castigo. Impossibile est, ait Hier. ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hîc ventrem & illic mentem impleat, & de delicijs transeat ad delicias. Hilarius de Trinitate. Proprium hoc, ait, Ecclesiæ est, ut tum vincat cùm læditur, tum intelligat, cùm arguitur; tum obtinuit, cùm deseritur. Sanctus autem Ambr. in hanc sententiam sic ait: Ut vinea dum ligatur, erigitur, & recisa non minuitur, sed augetur; ita sancta plebs dum ligatur, erigitur, dum humiliatur, attollitur; dum rescinditur, coronatur. Patientiam exerce & dic:

Hæcine vera, ut sup p. 7. vel O IESV, ut infr. p. 1017.

Quartum est, eleëmofynæ additum esse. viri enim misericordiarum Dei filij dicuntur, immò Nyssenus: Si, inquit, misericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tamquam insignitus propriâ notâ deitatis? Subscribit Nazianz. dicitque, Nihil tam divinum homo habet, quam de alijs benè mereri. Beati ergo misericordes, quia misericordiam consequentur: hæc verba expende, & invenies thesaurum, illud verò ipsum confirmat Propheeta David: Beatus, inquit, qui intelligit super egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus: in die certè judicij liberabit eum. Eleëmofyna enim à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire vitam æternam: & ut Gregorius. Tanto quisque perfectior est, quanto perfectiùs alienos dolores sentit. Exerce vivam fidem, & explora liberalitatem tuam.

O IESV, ut infrâ p. 1021

Quintum est, pauperem esse spiritu, & divitijs cor non

Rom. 8.

Rom. 5.

Hebr. 12.

Apoc. 3.

Hilarius.

*Liberalitas
in pauperes
Greg. Nyss
lib de bea-
titud.*

*In orat. de
pauperum
amore.
Ps. 40.*

Tob. 12.

*Greg. 24.
Mor.*

Paupertas.

non apponere. Prima enim beatitudo pauperum est dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, idemque ait. Væ vobis, divitibus, quia habetis hinc consolationem vestram. usque adeo verò id adstruit, ut facilius camelum dicat transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum: ideoque pauperes elegit in hoc mundo, aut ejusmodi divites, qui gratia ejus ita comparati erant, ut nuntium opibus statim remitterent: adolescentem autem illum repulit, quia multas habebat possessiones, iisque corde adhærebat. *Exerce humilitatem, & Aspira*, ut sup. pag. 8. *Hæcine firmâ, & O IESV*, &c. ut inf. pag. 1022.

Matth. 19.

Sextum est, humilitas: hæc enim ostendit se Christianus Christi discipulum dicentis: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Immò id asseruit Dominus dicens: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. Hæcine credis, ô Christiane? Stude igitur quisquis es recumbere in novissimo loco: omnis enim qui se humiliat, exaltabitur; & qui se exaltat, humiliabitur; neque super ullum requiescet spiritus Domini, nisi super humilem & quietum. Gregorius ad hoc ait: Evidentissimum signum reprobatorum, est superbia, electorum verò humilitas. Augustinus verò, Quem superbum videris, filium esse diaboli non dubites. Derestare superbiam & humilitatem amplectere & dic: O IESV, ut infra pag. 1022.

Humilitas.

Matth. 11.

Luc. 14.

Isaia 2.

Septimum est, charitas erga proximum; ad quod expende, In hoc cognoscet omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem; maxime vero quanti sit inimicis ignoscere, iisque benefacere. Audi enim: Dimittite, ait Dominus, & dimittetur vobis; & Sapiens, Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc tibi deprecanti peccata solventur. An vera hæc, ô Deus meus, an vera? O bonitatem Dei mei; & duritiam cor-

Charitas.

Ioan. 13.

Luca 6.

Eccli. 28.

Luc. 16.

dis humani? nōne quotidie in oratione Dominica id nobis inculcatur, quòd qua mensura mensi fuerimus eādē remeietur nobis: nolite iudicare, & non iudicabimini? Pertinet verò hoc signum ad mansuetudinem; mansuetorum verò & humilium semper Domino placuit deprecatio. Signum autem hujus, mala de proximo gravatè audire & credere, sicut difficilè aliquis suspicatur malum, qui bonus est: sic difficilè aliquis suspicatur bonum, qui malus est, in quo enim quis alium iudicat, in eo seipsum condemnat. Bonis ergo proximi congratulare ex animo & malis compateri. Scias, ait rectè Seneca, eum multis virtutibus abundare, qui alienas virtutes amat, & quot ille confundet Christianos? O IESV, ut infra pag. 1022.

*Iudith. 9.
Chrysof.**Devotio.
Ioan. 6.*

Octavum, frequentare Sacramenta confessionis & communionis; dixit enim Dominus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. & iterum, Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Id verò accipe, si piè ac devotè fiat; si enim negligenter, verendum ne in iudicium manducet & bibat potiùs, quàm salutem. fidem ergo illius promissi æternæ veritatis excita & dic:

O IESV, ut inf. pag. 1022.

*Auditio
verbi Dei.**Ioan. 8.
Ioan. 6.**Psalms. 118.**Matth. 4.*

Nonum est, libèter audire ac meditari verbum Dei, maximè de Christi passione: non enim finit irremuneratum Deus, quidquid suæ passioni fuerit oblatum. Audi, obsecro, audi qui ex Deo est, ait veritas, verba Dei audit & libenter, quòd verò tu sensu? Impiis durus est is sermo; & Quis, inquiunt, potest eum audire? at verò piæ mentes cum Davide exclamant: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. ovesque Christi gratanti animo vocem ejus audiunt, & cognoscunt eam, ac sequuntur, non verò vocem alienorum. Neque audiunt tantùm, sed pascuntur verbo ejus. non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Dole de negligentia

in

in verbò Dei, & dic: O IESV, ut infr. pag. 1022.

Decimum est, resignatum esse & paratum, ad Dei sequendam voluntatem: idem enim velle ac nolle, certum amicitiae cum Deo est argumentum. ideò Dominus: Quicumque fecerit voluntatē Patris mei qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Ideò David dicitur esse vir secundum cor Dei, quia faceret omnes voluntates ejus. Ad quod B. August. appositè dixit Domino; Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipse voluerit; sed potius hoc velle, quod à te audierit. Explora quid in mundo hoc velis vel auferis, & dic O IESV p. 1022. & resignationem exerce?

Vndecimum est, actum aliquem heroicum ex charitate, vel zelo semel facere: considera quid Abraham fecerit, cui ob praclarum illud facinus, sic Dominus loquitur; Per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli, &c. Quid verò Phinees? zelatus est pro Deo suo, & occidens fornicarium expiavit scelus filiorum Israel, & reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem in sempiternum. Huc pertinet Religionem ex charitate & zelo honoris Dei ingredi, omniaque relinquere, ut Christum sequamur. Hoc enim pacto de mundo, de carne, de cognatione, de libertate, de vitâ victoria obtinetur, ideoque Dominus Apostolis, Apostolicamque vitam sequentibus, dixit, Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cētuplum accipietis, & vitam aeternam possidebitis. Ecce promittit veritas, & tu ambigis? Excita te ad amorem & dic; O IESV, ut infra pag. 1022.

Duodecimum est, cultus beatissimæ Virginis singularis. idque communi consensu Sanctorum: ideò stella maris, civitas refugii, mater misericordiae appellatur. Memorare, ait Bern. eam compellans, ô piissima Virgo

*Resignatio
Matth. 12.*

*Acto. 13.
& 1. Reg. 13*

*Zelus magnus.
Gen. 22.*

*Psal. 105. &
Num. 21.*

Matth. 19.

*Cultus B.
Virginis.*

Virgo, à saeculo non esse auditum, ad tua currentem
praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffra-
gia esse derelictum. Potest verè Domina nostra illud
Sapientiae sibi usurpare: Beatus vir qui vigilat ad fores
meas quotidie, & observat ad postes ostii mei; qui me
invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domi-
no. Hæc expende & pete à Domino ut matris suæ
cultum singularem tibi donare dignetur. O JESV, ut inf.
p. 1022.

EXERCITIVM.

Ezech. 33.
18. & plur.

Cant. 8.

OJESV salus mea, Pastor anima mea, nescio errabunda
ovicula in vastâ hæc solitudine, nescio amore an odio dig-
nus sim, sed tu scis, & amore me dignum facere potes & vis: testis
mihi vita & mors tua, plage ista in manibus tuis, corpus & san-
guis quem mihi das quotidie. Insper spero quia dixisti in qua-
cumque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non
recordabor. Ecce igitur magna velut mare contritio mea, res-
pice quæso in me, salva me; diligo enim te toto corde meo. Da ob-
secro ut hæc quoque nota salutis in me sit, ecce eam factus sic ex-
primere volo, & gratiâ tuâ spero etiam hæc certam per bona o-
pera facere vocationem meam & sic ascendere N. de virtute in
virtutem, & ad te donec te videam & in grediar in portum &
gaudium Domini mei. Sed quæso per viscera misericordiae tuæ,
quæso per amorem tuum, pone te sicut signaculum super cor meum,
sicut signaculum super brachium meum; unge postes anima mea
sanguine tuo; signo Tau crucis tuæ. signa me ut à percutiente im-
munis sim, & tu agnoscas in me imaginem tuam purpuratam
sanguine tuo, & ego aliquando sim tibi, ubi tu Domine mi, oris
ubi pastor, Discipulus ubi Magister, servus ubi Dominus meus,
miles ubi Dux meus, creatura vilissima ubi Creator meus, ego
nihilum tecum ubi tu es, qui es & mihi omnia es Deus meus &
omnia Amen.

Praxis.

Hæc tã varia est quàm variæ sunt virtutes, ex quibus notæ
hæ colliguntur. Verùm breviter eas aliquando percurte
& conforta te, & spem in Deum erige, & id tibi pro pravi sit.

J A C V.



JACVLATORIA.

*In te cantatio mea semper, tanquam prodigium factus sum multis, Psal. 70.
Et tu Adjutor fortis. In te Domine speravi, non confundar in aeternum.*

TRIGESIMÆSECUNDÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Sicut, ô beatissima, omnis à te averfus & despectus, necesse est ut intèreat; ita omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat.

Considera, quantum Beati ssima Virgo & mater A Maria, à Deo, ejusq; curiâ celesti honoretur: tu imitare, ama ut Matrem, venerare ut Dominam, cole ut Patronam, tum B votivâ peregrinatione, tum multâ oratione: suspende illi, & dedica arma vanitatis tuæ, tuâq; pia ac sancta desideria commenda; uti fecit C B. Ignatius hæc est enim advocata nostra, consolatio D afflictorum, refugium in omni E tentatione, portus F naufragantium, & auxilium in cunctis malis, omnium in se sperantium. Verùm ut impetres, ait Bernardus, orationis ejus suffragium, non deseras ejus conversationis exemplum; & respiremus (ut Bonaventura loquitur) ad illam in omni actione nostra, & referabit nobis atria triumphantium.

Bonavent.

CAPVT